Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454941-p0001-7

INDEX DISPUTATIONUM Theologicarum

sub Præsidio Leonh. Hutteri.

De Confessione Augustana
ex articulo 1. Aug. Confessionis.

2 De unitate essentiæ divinæ et personarum Trinitate

3 De personarum in una divina essentia differentiis notis characteristicis, ordine et de generatione ac divinitate filii Dei æterna

4 De Divinitate Spiritus Sancti ejusq; æterna processione a Patre et filio, et de Sacris libris tam veteribus quam recentioribus etc.
ex articulo 2. Aug. Conf.

5 De peccato originali Pontificiorum stropharis potissimum opposita.

6 De blasphemia in Spiritum Sanctum, sive peccatum ad mortem.
ex articulo 3 Conf. Aug.

7 De unione hypostatica duarum naturarum in Christo

8 De communicatione et naturarum et egnunde idiomatum in Christo.

9 De officio Christi sacerdotali et statu humiliationis

10 De officio Christi regio, et statu exaltationis
ex articulo 4. et 20 Aug.

11 De justificatione hominis peccatoris coram Deo.

12 De efficacia Ministerii verbi et Sacramentorum. De Ministrorum Ecclesiæ vocatione.

13 De bonis operibus
ex art. 4 6 2

14 De Ecclesia a. 7. 8 c. 4.

15 De Sacramento in genere. 13 a. c. 4.

16 De Baptismo 9 c. 4.

17 De Cœna Domini. 10

18 De Pœnitentia et confessione 11. 12

19 De Traditionibus humanis in Ecclesia
15. 5. 4. 6. ar.

20 De rebus civilibus et potestate Ecclesiastica. 16 & 17

21 De extremo judicio

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu Sanctorum

25 Ex dicto, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi 12 a.

26 De verbo Dei scripto seu Scripturis Sacris.

DISPVTATIO XIIII.

De

SACRAMENTIS IN GENERE

DE QVA

Divino favente Numine

SVB PRÆSIDIO

LEONHARTI HVTTERI,

SS. THEOLOGIAE

DOCTORIS,

Ad diem 23. Octobris horis & loco consuetis

Respondebit

M. BARTHOLOMÆVS VVINTER Altenburgensis.

IENÆ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO cIↃ IↃ XCVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454941-p0003-9

VIRO

MAGNIFICO ET AMPLISSIMO, ERVDITA *doctrinâ, eximiâ prudentiâ, ac verâ pietate præstantissimo:*

Dn. IOHANNI VVEXIO, I. V. D. celeberrimo, atq; Illustrissimi, clementissimique Principis ac Domini, Dn. IOHANNIS, Ducis Saxoniæ &c. Altenburgi Cancellario fidelissimo;

Nec non eiusdem socero:

Amplissimo prudentissimoq; viro,

Dn. ANDREAE PVCHNERO, Reipubl. Altenburgensis Senatori primario;

Dominis adfinibus & fautoribus suis debitâ observantiâ plurimum colendis.

Hanc de Sacramentis ἐξέτασιν
In grati animi testimonium
Et debitæ observantiæ symbolum

D. D. D.

M. Bartholomæus VVinter
Respondens.

De Sacramentis in genere.

THESIS I.

SACRAMENTI VOX πολύσημος est, & aliter à prophanis, aliter ab Ecclesiasticis Scriptoribus: ab utrisq; verò, vel generatim, vel speciatim capitur.

2. *Misso usu ejus prophano, in Ecclesia, vel in genere rem quamvis arcanam & sacram: vel in specie Ceremoniam divinitùs institutam notat, quæ promissionem gratuiti favoris Dei nobis confert & obsignat.*

3. *Specialioris hujus significatus respectu, D. Apostolus & brevissimè & argutissimè Sacramenta definit esse signa, (divina scilicet) quibus justitia fidei obsignatur.* Rom. 4. 11.

4. *Duobus nimirum vocabulis rem universam Sacramentariam, ex parte ejus maxima nervosè explicat Apostolus: Signi videlicet & signaculi: quæ etsi Chrysostomo & haud paucis alijs, συνωνύμως idem planè significare videntur, plurimùm tamen à se invicem differre, cuivis mediocriter attendenti, obscurum esse haud potest.*

5. *Eodem autem planè modo, quo Res & Usus rei, discrepare videntur: ita quidem, ut prius vocabulum signi σημείου, Sacramentum ipsum designet, ejusdemq; natu-*

ram & conditionem exprimat: Siquidem Sacramenta, si proprio Scripturæ vocabulo appellare velimus, signa vocabimus.

6. Posterius verò σφραγίδος signaculi vocabulum, usum Sacramentorum describat.

7. Dicuntur autem Sacramenta, signa, partim ratione verbi nudi, per quod in ijs Deus cum fidelibus agit: partim respectu ritus externi, ac visibilium Elementorum: Signacula *verò appellantur, propterea quod invisibilem & spiritualem gratiam, in electis obsignant & confirmant.*

8. Vnde consequens, vocabulum Signi *totam conditionem ac substantiam Sacramentorum exprimere: ita ut quicquid eorum Essentiam constituit, Signi appellatione notetur: Signaculum verò, Vsum saltem, sine quo ipsa nihilominus Sacramentorum veritas & integritas potest consistere, respiciat.*

Iren. l. 4. c. 34. D. August. in sent. Prosperi.

9. Requiritur autem secundum Irenæum & Augustinum ad Sacramentorum constituendam Essentiam, res non una; sed duæ, eæq; diversæ: terrena una, & in oculos incurrens: Cœlestis & invisibilis altera: quarum non uni seorsim, sed utriq; conjunctim Sacramenti nomen ac definitio propriè competit: ac proindè non uni seorsim, sed utriq; rursus conjunctim signi appellatio est tribuenda.

l. 2. de doct. Chri. cap. 1.

10. Quo sensu D. Augustinus signum definit esse Rem, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit ex se in cogitationem venire, signatum scilicet.

11. Notandum tamen apud Scriptores Ecclesiasticos, hanc de qua jam diximus vocabuli signi notationem non semper observari: Sed illos aliàs totum Sacramentum: aliàs partem duntaxat ejus symbolum videlicet exter-

externum, inq; oculos incurrens, signi voce exprimere.

12. Αμφιβολίας istius ratio ex eo dependet, quia Sacramenta non tantùm tota signant seu significant aliquid extra se, fructum nimirum sive usum, cujus respectu signa dici meruerunt: Vt Circumcisio tota signat Apostolo teste Circumcisionem ἀχειροποίητον: Baptismus totus signat regenerationem. Coloss. 2. & 11.

13. Verùm etiam quia res Sacramenti visibilis & externa, ut quæ sensibus subjacet, nec primarium illud est bonum, propter quod Sacramenta instituta sunt, signum dici consuevit rei invisibilis, ut, quàm certò res externa & visibilis oculis conspicitur, tàm certò cœlestem alteram, quantumvis invisibilem adesse & conferri credamus.

14. Quæ causa est, quòd Scriptores Ecclesiastici haud rarò, externa Elementa & Symbola, Sacramenta etiam appellant: non quidem sensu Calvinistico, quasi hæc Elementa omnem Sacramenti rationem in se contineant: Sed respectu rei invisibilis, atq; bonorum invisibilium, quæ in Sacramentis exhibentur, quorum signa visibilia atq; externa, Elementa illa esse, haud malè statuuntur.

15. Particularis hæc vocabuli signi, pro parte nimirum terrena & externa Sacramenti, accepta significatio: duplicia nobis pro diversitate duorum fœderum, & temporum exhibet signa: Veteris quidem Testamenti signa σημαντικὰ: Lex enim umbram tantùm habuit & figuram futurorum bonorum, hoc est, Carnis & sanguinis Dominici: Heb. 10. 1. Novi verò Testamenti signa διαδοτικὰ καὶ προσφερόμενα, exhibentia & conferentia ipsum corpus & sanguinem Dominicum.

16. Patet ex his, quæ hactenus sunt disputata, quænam vera sit Signi & Signati ratio: nimirùm, si signum

pro toto sumatur Sacramento, utraq; videlicet ejus parte, tàm cœlesti & invisibili, quàm terrena & visibili: tùm signatum non esse partem Sacramenti (alioqui enim pars & totum idem forent): Sed signati rationem obtinere, ipsum usum ac fructum Sacramenti proprium ac proximum, qui pars Sacramenti συστατικὴ minimè est: sed extra ejusdem substantiam subsistit.

17. Exemplo rem illustremus: Si Sacramentum Cœnæ Dominicæ totum ac integrum, Signi appellatione notetur: jam signatum, non erit Corpus & Sanguis Domini: Sic enim statueretur, externa Elementa integrum Sacramentum constituere: ut quæ signent, nos Corpore & sanguine Dominico vesci: id quod Calvinisticum est delirium: Sed signatum erit, Spiritualis manducatio & coalitio cum Christo: quæ ipsam Sacramenti Eucharistici substantiam non constituit; id quod ex indignorum manducatione est manifestum, qui percepta quidem ipsa Sacramenti hujus substantiâ, usu tamen ejus & fructu destituuntur.

18. Quod si verò particulariter Signi vox, pro una tantùm & externa Sacramenti parte accipitur: tùm signatum non erit aliquid extra Sacramenti substantiam positum: sed ipsa Sacramenti pars συστατικὴ & substantialis: ut in S. Cœna, externi elementi panis tanquam signi, signatum erit Corpus Domini: Vini signatum erit ejusdem Sanguis.

19. Oritur ex diversis hisce signi & signati respectibus, diversa etiam prædicationum ratio: Quandò enim respectu prioris considerationis, signum pro toto Sacramento sumitur; ita ut signatum sit aliquid extra Sacramenti substantiam positum: nomen verò signati tribuitur ipsi signo: ut cum pro baptismo dicitur Regeneratio: pro

Cœna

Cœna Domini, spiritualis coalitio cum Christo: tùm figuratè ac metonymicè hoc fieri, nemo facilè ibit inficias.

20. *Vulgò hoc locutionum genus Sacramentale appellare consueverunt, cùm videlicet signatum pro signo, seu quod idem est, fructus Sacramenti pro ipsa substantia Sacramenti ponitur.*

21. *Est verò probè observandum, etsi in hisce locutionibus ponatur signatum pro signo, & unum pro altero: minimè tamen unum de altero, hoc est, signatum de signo, seu, fructum Sacramenti de ipsa substantia Sacramenti prædicari posse.*

22. *Quemadmodum enim omnis expirat Metonymia, cùm signum & signatum conjunguntur, & ex λέξει fit prædicatio: ut cùm dicitur: Sceptrum est ipsum regnum: Toga est ipsa pax: Sic Sacramentalis etiam expirat locutio, cùm signatum de signo, & fructus de substantia prædicatur: ut cùm dicitur: Regeneratio est baptismus: Spiritualis coalitio cum Christo est Cœna Domini.*

23. *Quando verò respectu posterioris consideratione, non unum pro altero ponitur: sed unum de altero prædicatur; hoc est, de signo signatum, de una parte συνεκτικῇ, pars prædicatur altera, & sic non simplex λέξις, sed prædicatio est: ut cum panis benedictus dicitur esse corpus Christi: Vinum benedictum dicitur esse sanguis Christi: tùm neq; metonymia, neq; figura ulla alia locum habere potest.*

24. *Quin imò, cùm in hoc locutionis genere, non fructus Sacramenti, pro ipsa substantia Sacramenti ponatur: sed, ut dictum, pars una συνεκτικὴ de altera prædicetur: constat hanc locutionem, ne Sacramentalem quidem propriè, multò minùs regularem dici posse aut debere.*

25. *Relinquitur ergo rectè eam à nobis* Inusitatam

tam, hoc est, mysticam & singularem statui, talem nimirum, cujus ratio pendeat ex Vnione Sacramentali, quæ est tota arcana atq; mystica.

26. Grunniunt hîc Sacramentarij, & nobis nescio quam ἀσυςασίαν vel ἀνλιφασιν objiciunt: dum verborum institutionis ῥητὸν, cum modo prædicationis inusitato, sine contradictionis implicatione stare nullo modo posse, opinantur.

27. Atqui verò non attendunt nasululi isti, ὡσαύτως ista à nobis non statui, sed diverso respectu: ac ῥητὸν quidem respectu singulorum vocabulorum: modum verò prædicationis inusitatum, respectu totius prædicationis à nobis asseri. Vnde an illa sequatur ἀνλιφασις, judicet is, qui Logicæ vel mediocriter saltem gustavit principia.

28. Quid? quòd Inusitatam prædicationem nullibi reperias, nisi in simplice ac propria sive usitata singularum vocum significatione, quam, si ad improprietatem aliquam, & figuratum sensum inflectas: illicò inusitati modi rationem in prædicatione omnem sustuleris.

29. Exemplo rem illustremus. Prædicatio illa, qua Deus de homine, homo de Deo prædicatur, regularis non est, id quod per se manifestum: Relinquitur ergo eam esse vel figuratam, vel singularem sive ut Theologi loquuntur Inusitatam. Atqui figurata non est. Nam tropus inesset vel particulæ (Hominis) & sic in Manichæorum castra fieret transitus: vel voci (Dei) & sic Arianorum confirmaretur impietas: vel deniq; Enunciationis copulæ: qua ratione Eutychianis subscriberetur. Superest ergò, prædicationem istam, retenta etiam singularum vocum propria ac nativa significatione, rectè statui singularem sive Inusitatam.

Inest

30. Inest his, quæ hactenus disputavimus, maximum ad dirimendas nostri seculi Controversias compendium: quo destitutis vix ullum aliud suppetit præsidium, quo adversariorum tricas & nodos dissolvere queant.

31. Cæterùm ut ad Sacramentorum naturam propiùs explicandam redeamus, diximus supra, Quodvis Sacramentum tàm Veteris quàm Novi Testamenti, duplici, & quidem diversa constare materia: terrena una & visibili: cœlesti seu invisibili altera.

32. Externa seu terrena materia, sunt ipsa symbola sive Elementa, non humano arbitrio delecta, sed divinitùs ordinata: qualia sunt: In Circumcisione præputium cum sanguinis fusione recisum: in Sacramento Pascha, Caro & Sanguis agni: In Baptismo, Aqua: In S. Cœna, panis & vinum.

33. Res seu materia Cœlestis, in Sacramentis utriusq; fœderis est, Caro, vel sanguis Dominicus: Is verò, pro diversitate temporum, vel typicus est, vel Essentialis.

34. Sacramenta ergò Veteris Testamenti umbratilia fuerunt & typica, sanguine præputij, typum sanguinis Christi essentialis: Carne & sanguine agni paschalis, typum carnis & sanguinis Dominici in sese continente.

35. Novi vero Testamenti Sacramentorum res cœlestis, non umbram futurorum bonorum, sed ipsam rerum εἰκόνα substantiam exhibet: quæ tamen quia sub aspectum humanum non venit, ideò Elementum seu symbolum visibile ei addere Christus voluit. Heb. 10. 1.

36. Oportuit enim Deum συγκαταβαίνειν, & ad infirmitatem nostram sese demittere, ut Chrysostomus loquitur, nuda & incorporea bona sua dare non potuit, cùm incorporei non essemus. Hom. 60. ad pop. Antioch.

37. Quo respectu Augustinus quoq; Sacramenta appellat verba visibilia, quia in his verbum non tantùm auditur, sed quasi pictum videtur.

38. Partes autem istæ Sacramentorum συστατικὰ in unum coalescunt, non numero, non naturâ, non arte, non συναφείᾳ, non χέσει tantùm aliqua, hoc est, significatione & mutuo relationis respectu: non efficaciâ duntaxat & operatione: non occulta aliqua aut magica verborum Consecrationis vi: non ex dignitate & fide tàm ministri, quàm accipientis: Sed Vnione Sacramentali, quæ in solidum dependet ex voluntate & ordinatione instituentis Dei, apud quem non est impossibile ullum verbum.

Luc. 1, 37.

39. Hinc duo inferimus πορίσματα: unum contra Sacramentarios: Cùm cuilibet Sacramento suum proprium atq; peculiare, ex divina institutione additum sit Elementum: quod cum re cœlesti altera Sacramentali unione jungatur: blasphemum esse Bezam, qui à Christi consilio atq; voluntate nihil alienum facere affirmat eum, qui vel in administrando baptismo, lacte aut alio quovis liquore: vel qui in ijs regionibus, ubi nullus est vini usus: aut qui naturâ abstemius fuerit, in Cœna Domini participanda, alio potionis genere utatur.

Vol. 3. tract. Theol. f. 195. & 258. Epist. 2. & 25.

40. Alterum contra Pontificios: Cùm solius divina sit potestatis, ut ex duabus rebus toto genere diversis unum Sacramentum efficiatur: neq; in Ecclesia, neq; in Pontificis Romani, neq; in cujuscunq; alterius hominis potestate situm esse, Sacramenta condere aut instituere.

41. Sacramentalis autem isthæc signorum Vnio, soli ac uni usui sive actioni, quæ quasi Sacramentorum Forma est, à Deo est destinata.

42. Vnde consequens, cessante usu, cessare etiam ipsam ordinationem Dei, ac unionem Sacramentalem;

juxta

juxta utilissimam illam Ecclesiæ regulam: Extra usum nihil habet vim Sacramenti.

43. *Impij ergò & blasphemi sunt Pontificij, qui signa Sacramenti Eucharistici scriniolo inclusa, superstitiosè adservant, circumgestant, adorant.*

44. *Ipsa autem Sacramentorum dispensatio propriè & ordinariè ad Ministerium pertinet: extraordinariè verò in casu necessitatis, baptismum, quemvis privatum Christianum, imò mulierem quoq; conferre posse, partim ex analogia hujus Sacramenti cum Circumcisione: quam mulieres etiam contulisse, Scriptura testatur: partim ex eo colligimus; quia hoc initiationis est Sacramentum, quo Ecclesia, Apostolorum secuta vestigia, neminem, quantum in se est, carere vult.*

45. *Porrò quisquis Sacramentis participat, is non parte, sed tota eorum participat substantia: licet propter infidelitatem multi fructum & efficaciam Sacramentorum non percipiant.*

46. *Neq; enim, ut præclarè scriptum est ab Augustino, interest, cùm de Sacramenti integritate agitur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimùm ad salutis viam: sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.* l. 3. cont. Donat. c. 14.

47. *Fides ergò, id quod contra Sacramentarios probè est notandum, non præstat in usu Sacramenti, ut Sacramentum ipsum totum accipiat, qui credit: quasi tale non futurum esset, nisi crederet: sed hoc solummodò efficit ut utile sit Sacramentum percipienti: hoc est: Fide fit, non ut Sacramentum: sed ut rem Sacramenti cum Sacramento ipso fidelis participet.*

48. Quemadmodum enim semper sunt & erunt in Ecclesia, qui & Sacramentum & rem Sacramenti percipiunt, ut omnes parvuli, regenerationis lavacro, Christo insiti: ita sunt in eadem, qui neutro fruuntur: ut Empacta & manifesti Sacramentorum contemtores.

49. Quin fieri etiam potest, ut Re Sacramenti sine Sacramento participet aliquis: ut cum quis necessitatis casu ab usu Sacramenti exclusus, verè tamen credit: ubi D. Augustini locum habet regula: Crede & manducasti. Vice verò versa, Sacramento, non re Sacramenti participet, qui sine vera fide Sacramentis in Ecclesia communicat.

50. Obstrepat fortè aliquis, quî ad salutarem Sacramentorum usum fides requiratur: cùm ad eam excitandam potius ille sit institutus.

51. Atqui v. dubium hoc distinctio inter initia & primitias fidei, & inter progressum, incrementum & robur eiusdem, planè tollit. Accedit ergò ad usum Sacramẽtorum fides, sed languidior ac infirmior. Alitur autem, augetur & confirmatur ex eodem: ita ut primitias fidei habeat homo, incrementa verò ejusdem ex usu quarat & consequatur.

52. Diligenter verò notandum, Fidem in omni quidem Sacramento, respectu salutaris usus, necessariò requiri: non verò ante omne Sacramentum; ne cum Sacramentarijs infantes, etiam ante baptismum in fœdere & gratia Dei esse existimemus.

33. Quamvis igitur hi ad Sacramentum ipsi fidem non afferant, eam tamen in ipso Baptismi usu divina bonitate accipiunt & consequuntur.

54. Percipitur autem substantia Sacramentorum eo tãtùm modo, quem institutio divina singulis attribuit:

Circum

Circumcisio amputatione præputij: Agnus paschalis, eo manducationis ritu, quem Lex divina præscripsit: Baptismus aspersione aquæ: Cœna Dominica manducatione panis & bibitione vini.

55. Diximus hactenus de signis, sive Sacramentis in genere: Restat ut de signato sive usu ac fine Sacramentorum, sive ut patres loqui solent, de Re Sacramentorum pauca quædam adijciamus.

56. Initiò autem observandum, etsi plerisq; Scriptoribus, Signatum & res Sacramenti sunt συνώνυμα: posse tamen ista majoris perspicuitatis gratia commodè distingui.

57. Res Sacramenti in Sacramentis omnibus tàm Veteris quàm novi Testamenti est eadem & communis, quam Apostolus vocat, signaculum sive Obsignationem justitiæ fidei. Rom. 4. 11.

58. Quo stante, crassus Sacramentariorum est error, Rem Sacramenti in Cœna Domini, Corpus & sanguinem Christi constituentium: Vnde consequens foret, non panem fractum & calicem benedictum, in sola S. Cœna esse κοινωνίαν Corporis & sanguinis Dominici: sed eam omnium Sacramentorum esse communem.

59. Signatum verò cuilibet Sacramento est proprium ac peculiare, Signo semper correspondens, quo mediante Res Sacramenti demùm obtinetur: ut in Circumcisione signatum fuit, Circumcisio ἀχειροποίητος: In agno Paschali, esca spiritualis: In Baptismo Regeneratio: In Cœna Domini, spiritualis manducatio corporis & sanguinis Christi. Col. 2, 11. Tit. 3, 5.

60. Sed ut ad finem Sacramentorum propiùs accedamus, duplicem eum constituimus: Vnum accidenta-

lem & minus principalem: proprium verò & maximè principalem alterum.

61. Primum συμβολικὸν nominare possumus, qui in eo consistit, ut Sacramenta sint signa atq; notæ professionis tùm Ecclesiæ universæ, tum membrorum etiam singulorum, quibus quasi tesseris & symbolis ab alijs prophanis cœtibus distinguuntur: Item ut sint nervi publicarum congregationum, typi officiorum, pietatis &c.

62. Alterum finem maximè proprium, Apostolus σφραγίδος voce exprimit, qui in eo consistit ut sint Signacula justitiæ fidei, hoc est, ut Christum ejusq; beneficia in nobis obsignent, & verè nobis conferant & exhibeant. Quod qua ratione fiat subsequentes duæ docebunt disputationes.

63. Est verò hic Sacramentorum usus communis omnibus tàm Veteris quàm novi Testamenti Sacramentis: ita ut hac parte nihil illis intercedat discriminis. Sunt tamen alia, quæ utriusq; fœderis Sacramentorum discrimen haud exiguum constituunt: de quibus nobis in disputatione de discrimine Veteris & Novi Testamenti agendum erit copiosiùs.

64. Posterior hic finis ἔλεγχον nobis suppeditat contra Pontificios: Cum enim id solummodò nomen ac definitionem Sacramenti propriè sic dicti sortiatur, quod salutem & justitiam fidei obsignat: hoc verò fictitia Sacramenta Pontificiorum præstare nequeant, id quod vel inde patet, quia hujus rei neq; institutionem neq; mandatum, neq; promissionem continent: vel hoc nomine ea exolescere & in fumum abire constat.

65. Redarguit idem Finis Enthusiastas, qui Sacramenta à Christo instituta organa ac media esse blasphemè pernegant, per quæ Deus gratia sua dona in nos effundat:

sed

sed potius violentos raptus & revelationes arcanas Spiritus sancti pijs consulendos esse, insaniunt.

66. *Neq; verò dum Sacramenta media salutis esse affirmamus, Pontificiorum patrocinamur errori, qui opinantur, Sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato, sine bono motu utentis, modo non ponatur obex: hoc est, Sacramentis ex solo administrationis opere inesse vim justificandi & sanctificandi, modò peccati mortalis reatus, vel ejus saltem propositum non adsit.*

67. *Etsi verò non negamus Sacramentorum vim atq; efficaciam longè esse maximam: eam tamen vel magica aliqua ratione Sacramentorum elementis inhærere: vel ex operis nostri dignitate dependere inficiamur: sed ijs solis hanc vim valere statuimus, qui benè, hoc est, fide Sacramentis utuntur.*

68. *Locum enim hîc habet illud Orthodoxæ Antiquitatis axioma: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti justificat.*

69. *Redarguit idem finis, Zvinglij impietatem, qui tantùm abesse, scribere non exhorruit, ut Sacramenta gratiam conferant, ut ne adferant quidem aut dispensent: Imò Spiritum sanctum trahere homines suo afflatu, sine ejusmodi mediis: sic enim verba ipsius sonant:* Der Geist ziehet die Leut mit seinem anblasen ohne solche Geschirr. *Hoc nimirum vocabulo, nimis Ironicè Sacramenta appellitans.* In rat. fid. ad Carol. In epist. ad principes Germaniæ D. a.

70. *Redarguit idem finis modernorum Sacramentariorum mataologiam, qui Sacramentis non modò non conferendæ, sed ne obsignandæ quidem gratiæ divinæ vim inesse, nefariè contendunt.*

71. *Redarguit denig. Donatistarum errorem, qui Sacramenta per malos administrata ministros, vim planè & efficaciam nullam amplius obtinere somniarunt.*

Vt

72. *Vt enim Sacramentorum institutio non ab humana, sed divina in solidum pendet autoritate: Ita eorundem vis & fructus, non ex dignitate ministrantis: sed ex ordinatione & promissione divina, ad dignè sumentes redundat.*

73. *Christo Iheſu, Servatori nostro unico, qui fidei nostræ infirmitatis sublevandæ gratia, Sacramenta instituit: sit cum Patre & Spiritu sancto, laus, honor, gloria in secula æternitatis universa.*

AMEN.

94 A 7389

ULB Halle 3
002 716 291

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454941-p0019-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454941-p0020-3

DISPVTATIO XIIII.

De

ACRAMENTIS IN GENERE

DE QVA

Divino favente Numine

SVB PRÆSIDIO

ONHARTI HVTTERI,
S. THEOLOGIAE
DOCTORIS,

Ad diem 23. Octobris horis & loco consuetis

Respondebit

BARTHOLOMÆVS
VVINTER Altenburgensis.

IENÆ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.
ANNO cIↃ IↃ XCVI.